ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

i

DECRETUM

Supremae huic Sacrae Congregationi propositum est dubium :

«Utrum magna prostratio *(gonyJclisia),* ubi in usum venerit in celebratione Missae Ritus Byzantini, facienda sit post Christi verba, *im* consecratione panis et vini pronunciata, aut tandem post prolatam *« Epiclesim)).*

E.mi ac Revmi Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi in Plenario Conventu Feriae IV, die 20 Decembris 1950 habito, audito* Revmorum Consultorum voto, respondendum censuerunt :

Affirmative ad I[am] partem;

Negative ad II[am].

Et Feria V subsequenti, S sinus D. N. D. Pius Divina Providentia Pp. XII, in Audientia Excmo ac Revmo D. Adsessori S. Officii concessa,, relatam Sibi Emorum Patrum resolutionem adprobavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 12 Februarii 1951.

Marinus Marani, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius-*

II

DECRETUM

DE CONSECRATIONE EPISCOPI SINE CANONICA PROVISIONE

Suprema Sacra Congregatio Sancti Officii, ex speciali facultate sibi a Summo Pontifice facta, hoc edidit decretum :

Episcopus, cuiusvis ritus vel dignitatis, aliquem, neque ab Apostolica Sede nominatum neque ab Eadem expresse confirmatum, consecrans im

Episcopum, et qui consecrationem recipit, etsi metu gravi coacti (c. 2229, § 3, 3°), incurrunt *ipso facto* in excommunicationem Apostolicae Sedi -*specialissimo modo* reservatam.

Hoc decretum vim suam exeret ab ipso promulgationis die.

Datum ex Aedibus Sancti Officii, die 9 Aprilis .1951.

Marinus Marani, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarms*

SACKA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

NILI AEQUATORIALIS
(GULUENSIS)

DECRETUM

VICARIATUS APOSTOLICUS NILI AEQUATORIALIS, DEINCEPS ((GULUENSIS)) APPELLABITUR.

Cum iam mos invaluerit, ut missiones huius S. Congregationis iurisdictioni obnoxiae a sui cuiusque residentiae Ordinarii loci nomine, quantum fieri possit, appellentur, in iisdem plenariis comitiis die 20 Novembris 1950 habitis, in quibus Apostolicus Nili Aequatorialis Vicariatus nominatus est, Eminentissimi Patres Cardinales, huius Sacri Consilii Fidei Propagandae regimini praepositi, de ipsius Vicariatus denominatione mutanda egerunt.

Cum autem eiusdem Vicariatus Ordinarius in urbe Gulu sedem suam habeat, praelaudati Emi Patres Vicariatum Nili Aequatorialis deinceps Vicariatum Apostolicum Guîuensem vocandum esse censuerunt.

Quam Emorum Patrum sententiam in Audientia diei 1 Decembris eiusdem anni, ab infrascripto huius S. Congregationis Cardinali Praefecto Ssmo Domino Nostro Pio Div. Prov. Papae XII relatam, Summus Pontifex, benigne excipiens, adprobare ratamque habere dignatus est, praesensque ad rem Decretum fieri iussit.

Datum ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die 1 Decembris anno Iubilaei 1950.

P. Card. FUMASONI BIONDI, *Praefectus*

X. © S.

f Celsus Costantini, Archiep. tit. Theodos., *a Secretis*